Quelle: https://manuscripta.at/?ID=128
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

et manus et horum singula que sunt huiusmodi sunt, hoc ipsum quod sunt potest sciri diffinite. Ad quod autem dicantur non necessarium est scire. Cuius enim hoc caput vel cuius hec manus non est dicere diffinite. Quare non erunt hec ad aliquid. Si vero non sunt hec relativorum, verum erit dicere quia nulla substantia relativorum est. Fortasse autem sit difficile de huiusmodi rebus confidenter declarare nisi sepe pertractata sint. Dubitare autem de singulis non erit inutile.

Qualitatem vero dico secundum quam quales quidam dicuntur. Est autem qualitas eorum que multipliciter dicuntur. Et una quidem species qualitatis habitus dispositioque dicantur. Differt autem habitus dispositione quod permanentior et diuturnior est. Tales vero sunt scientie vel virtutes. Scientia enim videtur esse permanentium et eorum que difficile moveantur, ut si quis vel mediocriter sumat scientiam, nisi forte grandis permutatio facta sit vel ab egritudine vel ab alio huiusmodi. Similiter autem et virtus et iustitia et castitas et singula talium non videntur posse moveri neque facile permutari. Affectiones vero dicuntur que sunt faciles et cito permutabiles, ut calor et frigiditas et egritudo et sanitas et alia huiusmodi. Afficitur enim circa eas quodammodo homo, cito autem permutatur ex calido ut frigidus fiat et ex sanitate in egritudinem transit. Similiter et in aliis, nisi forte in his quoque contingit per temporis longitudinem in naturam cuiusque transferri et insanabilis vel difficile mobilis consistat affectio, quam iam quilibet habitudinem vocet. Manifestum est autem quoniam hec volunt habitudines nominari que sunt diuturniora et difficile mobilia. Namque in disciplinis non multum retinentes sed facile mobiles non dicuntur habitum habere, quamvis sint ad disciplinas peius meliusve dispositi. Quare differt habitus dispositione, quod hoc quidem facile mobile est, illud vero diuturnius et difficile mobile. Sunt autem habitus et dispositiones, dispositiones vero non necesse est habitus esse. Qui enim retinent habitum quodammodo dispositi sunt ad eam que habent vel peius vel melius. Qui autem dispositi sunt non omnino retinent habitum.

Aliud vero genus qualitatis est secundum quod pugillatores vel cursores vel salubres vel insalubres dicimus, et simpliciter quecumque secundum potentiam naturalem vel inpotentiam dicuntur. Non enim quoniam sunt dispositi aliquomodo unumquodque horum dicitur, sed quod habeant potentiam naturalem vel inpotentiam vel facere aliquid facile vel nichil pati, ut pugillatores vel cursores dicuntur non quod sint dispositi sed quod habeant potentiam hoc facile faciendi. Sanativi autem dicuntur eo quod habeant potentiam naturalem ut nichil aliquibus accidentibus patiantur. Egrotativi vero quod habeant inpotentiam nichil faciendi